Digitized by Google

DE

45.

ORDINE
IN
AVDIENDIS PHILOSOPHICIS
PER
TRIENNIVM ACADEMICVM
QVAEDAM PRAEFATVS
ACROASES
PROXIMAE AESTATI DESTINATAS
INDICIT

ALEXANDER GOTTLIEB BAVMGARTEN
PROFESSOR PHILOSOPHIAE PVBLICVS EXTRAORDINARIVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
APVD IO. ANDREAM BAVERVM MDCCXXXVIII.

Digitized by Google

§. I.

QVanquam perpauci, ſi qui ſunt apud me, naturæ vel diligentiae fructus ipſi mihi tenuitatis meae conſcio, COMMILITONES, ociſſime potius ſubtrahendi, quam academicae celebritati diutius exponendi ſaepe iam viſi ſunt: tamen ante ſex circiter menſes in numerum philoſophiam hic publice profitentium auctoritate regia lectus paululum aliter rationes mihi meas ſubducendas eſſe intellexi. Quum tunc de nouo mihi benigniſſime collato munere fierem certior, non iam ſolum indicaueram per hiemem praeterlapſam abſoluendos labores, ſed etiam auſpicatus eram. Non erat adeo, cur VOS more conſueto tunc compellarem, aut importunior occupatiores interpellarem. Tacite potius mecum inter varias animi iure ſibi forſitan diffidentis ſolicitudines mihimet ipſe, praefiſcine dixerim, gratulatus ſum de tam bella, tam iucunda, tam improuiſa, quam manibus tenebam, occaſione, per plures, ſi viſum DEO fuerit, annos integrum dicandi me VOBIS, ſpei patriae, creſcentibus rei publicae ciuitatisque diuinae fulcris, vtilioribus optimi mundi ciuibus. Nunc, quoniam nouum induſtriae ſtadium per aeſtatem hanc decurrendum, recentes incitatae alacritati carceres aperiendi ſunt, dicam

cam ſolenniter, quibus meis, quales quales illi ſint, conatibus per inſtans ſemeſtre tempus VESTRVM ad praeclara quaeuis enitentem ardorem a me iuuari poſſe, ni fallar, exiſtimem.

§. II.

Prius tamen, quam id agam, ignoſcite VOBISCUM etiam abſentibus verſandi colloquendique pauliſper opportunitatem aucupanti homini, qui non vnquam aeque eſt beatus, ac ſi vos aut oculis videt, aut animo. Quum in eo quidem omnes facile conſentiant, eſſe ſtudiorum tum omnium, tum academicorum in philoſophicis quoque velut animam ac vitam ordinem, quis tamen ille ſit, quibusque definiendus aut circumſcribendus legibus videri debeat, mire diuerſa iudicent: qua ratione, qua via, vel ordine commodisſime cogitem audiri poſſe philoſophiam in academiis, quaſi rogatus dicam ſententiam. Videte, num venerit in mentem rei dignae demandata mihi prouincia, dignae temporibus, quae viuimus, dignae denique, cui meditandae vernalis huius, quo fruimur, aut fruemur, otii horas aliquas impendatis. Ne tamen hic cuiquam credar ex fulgore fumum dare, modum ſtatim et certos mihi fines ſcribo, quos vltra citraque nec adſcendere placet, neque deſcendere.

§. III.

Non itaque diſputabo, num omnino philoſophandum ſit eruditis, nec meum eſt tantas lites rationis & alterius partis, quam quo ſatis molli appellem nomine neſcio, componere. Non anquiram, an ſcientiae philoſophorum eo propinandae ſint ordine, quem nunc aut philoſophicam methodum aut mathematicam vocamus in ſcholis. Deciderint eam quaeſtionem vel tirones in logicis, modo, quae dicunt, intelligant. Non indagabo, ſintne bonae mentis ac artium officinae, quas academias nuncuparunt, loca hauriendae philoſophiae ſacra, ſerius, quam in his, an citius, illi danda ſit opera. Vtinam vanus vates praeſagirem imminentem aut nobis, aut proximae poſteritati barbariem, ſi non obuiam eatur inualeſcenti malo noſtro ſidere conſuetudini, nonnullis in ludis vix adoleſcentium adhuc cruda magnopere ſtudia, linguarum ignaros, in elegantioribus deliciis prorſus hoſpi-

hoſpites animos auocandi iam ab his maxime neceſſariis & immaturiori conuenientiſſimis aetati proluſionibus, immergendi contra praepoſterae rerum contemplationi, quibus perſpiciendis nec ingenii robur ſufficit, nec inferiores, quas aiunt, ſcholae conſecrantur. Si quis autem relictis demum academiis fundamenta philoſophiae ſternenda vigilans ſomniet, nae, mihi videtur ille laudare Phrygas, qui ſero ſapiant. Tandem non diſſeram vberius, vtrum ſit ſatius audire philoſophos, ſi qui ſint, ex quorum inſtitutione diſcedere queas eruditior, an potius, vel peruoluendis tantum libris inſudare, vel inuentoris alicuius Epicuri Carteſiiue famam affectare, dum interim reconditioris ſaepe doctrinae

Plenus ſacculus eſt aranearum.

Quem enim admodum poſterior errorum ſatis refutatur ſuperque per tritum illud: Ex nihilo nihil fit: ita librorum eluones academici, qui viuos non curant inter mortuos doctores ſepulti parum forſan agunt circumſpectius, quam qui caeſaris nunc caſtra peteret ad artem militarem vnice hauriendam ex perlegendo Caeſare de bello gallico. Nec ego ſum is, qui neget, aut eat inficias ſolam philoſophorum auditionem ad philoſophandum non ſufficere. Noui plura ferenda, plura facienda, priuatim etiam ſudandum non nihil, non nihil algendum tibi ſoli relicto, qui curatius rerum cauſſas rationesque rimari tecum conſtitueris. De quibus aut alii viderint, aut ipſe ſibi quisque conſulat, aut ego fortaſſis alio tempore. Nunc hoc vnum expediendum habeo, quid ex ſcientia humanarum diuinarumque rerum audiendum in academiis, quoque commodiſſimo cenſeam ordine.

§. IIII.

Omnes homines, qui ſtudent aliquid perſuadere ceteris, ſummo decet ope niti, ne talia ſibi fingant animo, quae non niſi per platonicam neſcio quam rempublicam vſu venire poſſint, aut ſaltim ipſa ſua nouitate, nimia difficultate, vel horrido rigore, vix argumentis allectos abſterreant. Quid proficeret, obſecro, ſi nunc aliquis inter nos exſurgeret Pythagoras, qui virum ſuum iuberet nec animum ad medicinam adiicere, nec curare iurisprudentiam, forenſem illam & aliquibus ciuitatibus pecu-

liarem, nec dedicare ſe publicis, ad quae theologia praeparat, muneribus ſola meditatione mortis contentum, in ſola cognitione rerum, quae ſunt, habitantem, & caeteris omnibus pro nihilo habitis ſtudioſe naturam intuendo conſeneſcere? Ni vehementer errem, eſſet e re boni publici, ſi plures eruditorum, erudiendorum etiam, ordines ac diſtincta quaſi genera ſtatuerentur ſolennius, quam tres, quas enumeraui, claſſes. Non ſunt tamen. Acquieſco. Dixi rationem. Loquor ergo de iis, qui finem ſibi principem, eum ſcilicet, a quo nominantur, propoſuerunt in academiis aut doctrinas ſacras, aut iurium peritiam, aut artem ſalutarem. Fac eundem, cuius ſupra mentionem inieci, renatum Euphorbum renaſci nunc iterum, et a ſuis diſcipulis exigere quinquennium probationis, ac huius deuoratis taediis, concoctis ludibriis, exantlatis laboribus, praeſtito gnauiter ſilentio, tunc demum aperire velle ſyndonem, os venerandum detegere, forſitan & femoris aurei ſpectandi ſpem facere. Quouis pignore contenderem, idem euenturum ipſi, quod olim contigiſſe ferunt Homero, quum illi

Fortunam Priami cantanti & nobile bellum

obſtreperet ad piſces emendos vocans campanula. Quis eſt cordatiorum, qui non toto gauderet animo, ſi licitum eſſet & placeret omnibus, qui ſe litteris emanciparunt, diutius in academiis morari, quam ſolent, aut alia commoda ratione maturescendi tempus exſpectare, quo praeparatum bene pectus ad reliquam vitam transferrent? Qui tamen nunc ſunt mores, plurimorum academica vita tres annos non ſuperat. Multi citius abſoluunt, quae ſaepe nec inceperunt, ſtudia. Qui remotiorem ſibi metam aut collocant, aut collocare poſſunt, quam intra triennium contingendam,

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Quae cum ita ſint, nec hic quicquam moueo. Sumo, quicquid audiendum eſt philoſophiae, audiatur illud tribus annis. Qui per porrectius temporis interuallum intereſſe noſtris eruditionis mercatibus aut volent, aut poterunt, quid dicendis addant, reſtrictioribus incluſi cancellis, quid demant, ipſi facillime perſpexerint.

§. V.

§. V.

Sic expoſitis, quae mihi praemonenda videbantur triplicem ordinem inire poſſe video philoſophiam diſcentes in academiis. Primus eſt, quo primi quaſi flores academicae vitae tantum non integri philoſophiae donantur, nec illud doctrinarum genus, cui potiſſimum confidere quis olim velit, prius ſalutatur, quam vale dicto philoſophis. Secundus eſt, quo ſtudium ſapientiae reliquarum academici laboris partium extremum agmen ducit, et vel exhauſtae demum, ex qua quis titulum tulit, diſciplinae coronidis inſtar imponitur, vel abitum paranti iniicitur, ne caudam non trahat, aut acroama ſit ſine corollario. Tertium denique concipiamus illum, qui philoſophiam cum palmari doctrinarum genere coniungit, et impari licet ambulare paſſu ſuadeat, ita tamen connectendo miſcet, vt vna cum futuro theologo, ICto, medico creſcat paulatim philoſophus. Breuius: aut ante curſum theologicum, iuridicum, vel medicum, aut poſt eundem, aut inter eundum, et per ipſam quaſi viam clementius aſſurgentem philoſophari poteris in academiis. Quid praeſtat?

§. VI.

Primum ordinem, haec fere ſunt, quae commendare poterunt. Sapientiſſimi noſtri maiores duxerunt per atrium ſapientiae ſuperioribus, quas vocant, eruditionis ordinibus inſerendos. Vt in Platonis ingredi nemo ſcholam poterat ignarus pulueris ac radii, ſic nonniſi philoſophia ſubactos animos recipiebant ſanctiſſimi ſenes ad cultus ſacri, fori, hygeaeque myſteria. Nolebant doctores tranſiliri praeparationem ad altiora quaeuis vtiliſſimam, vetabant leges, ipſi damnabant principes, ridebant auditores. Permanauit non temere vituperandus mos iſte multis in locis ad haec noſtra etiam tempora, nec cuiquam cedet, ſi pugnandum fuerit auctoritatibus. At neque ſi rationum potiſſimum habeatur exiſtimatio, de praerogatiuis eius actum omnino fore cenſendum eſt. Nulla trium illarum, quas ſaepe dixi, gratiarum eſt, cui non alimenta ſuppeditentur ex philoſophia, quae non fundamenta ſua firmiſſimis eius ſuperſtruat demonſtrationibus, multaque cum foenore reddenda mutuetur ex ipſius theſauris. Iam vero res apertiſſima videtur a primis incipiendum

dum eſſe, ſi quis ordine velit progredi. Praenoſcenda ſunt ergo principia philoſophiae prius, quam quae deducuntur inde theologis, ICtis, medicis ſcitu maxime neceſſaria. Nec deerunt, qui fortasſis addant, per primos academicae vitae menſes minus vel ſtrenue, vel circumſpecte res ſuas inſtituere multos, qui vel ſubſidentibus in ipſo paene portu motis fluctibus, vel disiectis animi delati velut in alium orbem nebulis, ſequentes tamen menſes et poſteriores annos longe felicius collocent: ſatius hinc fore bonam philoſophiam aduenientibus totam primam obiicere, quae, dum excuſatius in ipſam peccatur, tradat poſthinc grauioribus magis ſerenos, commodorumque ſuorum minus incurios

§. VII.

Quod ſi iam, quid ſecum hic ordo ferat incommodi, cogitamus, tot occurrunt animo, quae disſuadeant illum aetati noſtrae, noſtris inſtitutis, vt ne ſit quidem nimis optandus, quem ſperare dudum non datum eſt. Neque ego nunc omnia enumerare conor, nec opus eſt, nec fieri vllo modo poteſt. Tantummodo quaedam exempla proferam. Vix ac ne vix quidem annus vnus breuisſimi triennii primus ſacer eſſe poſſet philoſophiae. Forent hinc audiendae ſimul iisdem primis ſex menſibus plures eius partes, velut logica, metaphyſica, matheſis, & hanc enim nunc in philoſophicis includo, theoretica cum iure naturae. In eodem igitur luto haerendum eſſet, ad quod euitandum haec potisſimum placebat methodus §. VI. Nam & hae ſcientiae ſic ſibi cohaerent, vt altera principia ſuggerat alteri, ſuccedere hinc ſibi deberent, non vno quaſi hiatu liguriri. Praeterea nouerunt quicunque mentem ſuam diligentius excutiunt, non huius aliter aciem, quam oculos corporis hebeſcere, ſi non caecutire, affluxu luminis nimio, cui tamen ſenſim diductis pupillis egregie aſſueſcat. Quo plus ineſt philoſophicis claritatis, quo plus euidentiae, hoc cautius in iis euoluendis pedetentim ac velut per gradus procedendum eſt. Hinc illae multorum ad hanc lucem conniuentium lacrumae, hinc de caligine vel obſcuritate tam anxiae querelae, hinc ſannae denique ſuam ſibi caecitatem gratulantium. Quae non primo die, primo perſpiciunt impetu, neſcio quo iure, vel faſtidiunt, vel vnquam ſe

Digitized by Google

ſe asſequuturos deſperant. Non communior haec et peruagatior modo peſtis esſet extimescenda per campos philoſophicos, ſi placeret pluribus ordo, qui nunc agitur, ſed inficeret eadem etiam exceptura philoſophiam ſtudia. Quae quum viginti quatuor includerentur plerumque menſibus. quid non pari detrimento, pari certe periculo audiendum esſet vna? Hermeneuticum paene cum polemico, cum practicis inſtitutiones, anatomia cum clinico. Quid? ſi qui confundentes princeps ſtudiorum genus cum eo, cui nauanda ſit vnice, reliquis excluſis omnibus, opera neruos omnes induſtriae poſterioribus annis integros ſeruaturi, primum traducerent otio fortean illiberaliori ſatis ſe cito poſt illum euigilaturos ſomniantes?

§. VIII.

Quid ergo ſi vaſa mox conclamaturos in academiis potius, quam easdem ſalutantes inuitaremus ad philoſophandum? Necesſaria bene praeferuntur vtilibus, et, ſi qua doctrinae carendum eſt parte, tolerabilius ſine dubio deſideratur philoſophia, quam illa ſcientia, ſine qua ne dicere quidem redux in patriam patri matriue clare posſis, quis tandem euaſeris. Si quis theologiae, iurisprudentiae, vel medicinae regna iam aliquantisper emenſus eſt, promtius diiudicabit, quam hoſpes harum litterarum, quid in philoſophicis interſit ſua, quid proſit cognoſcere, quid ignorare non noceat. Forſan ex opinione multorum licet etiam conſilii huius id emolumenti promittere, poſt fruges non inuentas ſolum, ſed & probe deguſtatas, relegatum non nihil temporis ad glandes habiturum, de quo bonae fortunae agat copioſe gratias, quae quemcunque ſe prius esſe voluerit, quam philoſophum.

§. VIIII.

Neque tamen vnquam meum punctum tulit hic ordo, nec feret, reor illorum calculum, qui ſuis oculis viderint mala vinculo prorſus inenodabili cum eo connexa. Qui non recte iusteque meditati ſunt prima diſciplinae, quam profitentur, elementa, dum viuunt in academiis, & tamen in eadem, non dicam excellant, ſatisfaciant tantum aequisſima poſtulantibus, vel raros esſe, vel nullos existimo. Quid illud, inquis, ad hanc rem? permultum ſane. Nam ſi rite, ſi legitime peruoluenda ſunt

discen-

diſcentium animis, quibus theologiae ſororumque ſaepius commemoratarum ſubſellia reſonant in academiis, quando tandem id fiet? Dum audiuntur iſta, niſi ſi totus fallor. Hinc ab ouo lautisſimi noſtri conuiuii vsque ad mala praeciſe ac accurate meditandum eſt, at, dum remouentur menſae, quaerendum demum, quid ſit meditari, ratiocinari, demonſtrare? quomodo ſint inſtituenda ſingula? quid in quolibet erroris committi posſit? Prius haec diſcenda fuisſent, niſi nunquam, quod qui cenſet, cum illo nunc nihil eſt mihi negotii §. III. Rem compertam triſti multorum experientia loquor, ſi addo male contractam per plures annos confuſe, praecipitanter et ſine nexu cogitandi conſuetudinem non facile exui, ſi vel maxime pateſcat in exitu, quid in ipſis auſpiciis peccauerimus. Videmus tunc ſaepe meliora, probamusque, deteriora ſequimur. Non vacat amplius ſarcire damna, radices agere, telamque fere detextam Penelopes inſtar reſuere. Satis datur luxurianti ingenio per ſcholas, quas inferiores nominant. Nouus academiae colonus ſtatim abundantia amputat, euagantia cohibet, ſuisque, ſi ſapit, limitibus nunc maturius cogitaturum animum ſeueriori diſciplina bonae mentis limatiorisque ſapientiae circumſcribit. Ignarus logices ac metaphyſices nullam asſequitur probationum difficiliorum certitudinem. Meditatus haec pono nota cognoſcentibus et indolem humanae mentis, et harum ſcientiarum mirabiles ambitus. Num ergo recte putamus fieri, ſi quis per omne temporis interuallum, quo praecipuo ſuo ſtudio nauat operam, aut in continua circa rationes fluctuatione relinquatur, aut cogatur veri ſibi ſimilia pro certis aſſumere falſisſima perſuaſione?

§. X.

Reſtat ordo tertius, qui quaſi medium tramitem in iam commemoratis eligit, & quem inflexis leniter Horatii vocibus meum facio.

Ordinis haec virtus erit, ac venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc diſcat, iam nunc debentia diſci
Pleraque differat, et praeſens in tempus omittat,
Haec amet, haec ſpernat, ſi cui ſapientia curae eſt.

Dicam expresſius, quod ſentio. Duplex academicae vitae dos eſt, altera,

altera, vt iaciantur fundamenta non aſpernanda doctrinae illius ex cuius cultura tota ſequuturae vitae pendere ſolet ratio, altera, vt aliae quoque poliendis ingenii viribus acuendoue iudicio ſubſeruientes imbibantur ſcientiae. Ad vtramque dum adſpiramus, vtrique fini ſimul, quantum eius fieri poteſt ſatis appoſitius eſt facere, quam vni poſt alterum demum inhiare. Quam diu adeuntur academiarum ſcholae, non male iura legum ſtudioſis, theologica cultori theologiae, medica tandem audiuntur artis ſalutaris curioſo. Coniungenda tamen ornamenta ſaepe neceſſaria ſemper neceſſariis. In his primas forte concedent reliqua philoſophiae. Philoſophandum eſt paucis, at philoſophandum tamen. Tempus quaeris? dum viuis, ſi homo es. Ergo etiam, dum viuis in academiis. Obiiciant hic aliqui, iam poſtulari nimia. §. IV. Quis integrum triennium philoſophis impenderit? Bona verba quaeſo. Quis hoc asſeruit gentium? Non ego. Partem volo, minimam partem, vix eam quartam vindico. Minus poſco, quam qui vnum annum. Patebit inferius. Verum laborabit hic ordo eodem malo, quo ſecundus, vt tractare ſaepius ante ſua principia neceſſe ſit, quae deducuntur ex illis. Sic ius naturae aut poſtponendum primis legum ciuilium inſtitutionibus, aut praeponendum metaphyſicae. Theologia naturalis aut ſequetur theſin, aut logicae praemittetur. Non nego. Meminerimus tamen perfectionem compoſitam exceptionum omnino capacem esſe, modo fiant aptisſimae. Excipiendum ab hac eſt regula, quodemum cunque philoſopheris ordine. Praepone logicam metaphyſicae. Fit contra hanc legem. Inuerte. Non minus peccabis, immo, ſine dubio, magis. Quid ergo? iam nunc disci debentia multa differenda ſunt, et in praeſens tempus omittenda. Quod et ita fieri poteſt, vt ne quid detrimenti capiat ſcientia. Si modo non horrendo hiatu diuellantur arctiſſime ſibi cohaerentia, posſim praemittere doctrinam nonnihil ex incognita adhuc pendentem. Quicquid in iſta ex hac fluit, interim ſumo, donec de illa quoque ſuo tempore conuincar. Denique videor audire, qui moueant inde bellum, quod hoc probato conſilio, nemo ciuium noſtrorum vnquam totus futurus ſit in theologia, vel medicina, vel iurisperitia. Breuiter me expediam. Quid inde mali eſt? Plurimum ſemper otii, plurimum laboris,

neruorum et diligentiae relinquetur iſtis. Hoc nonne ſufficit? Nec vni eruditionis generi, tanquam glebae, adſcribimur, nec opifices ſumus, aut ſellularii, quibus vltra crepidas, malleum, forficesque loqui nefas eſto. Eruditio patentiores paulo circulos informat, quam qui concludant erectiores animos vnius vel optimi ſtudii carceribus.

§. XI.

Has prae caeteris ſuaſionis meae rationes habeo, nec philoſophiam, nec quas facultates ſuperiores dixerunt ſatis translatitie, tam praecipitatum iri temere, quam ſuperius enarrati cogunt ordines. Προς καταληψιν των επιϛημων μηδενος ημας, ουτως ειναι ενδεεις, ως χρονου tam vere Zeno dicit apud Laertium, vt nihil verius. Optime itaque tres anni dantur vtrique ſcientiae, quibus ſubigantur et matureſcant vtriusque notiones, clariores paulatim reddantur, euoluantur et enucleentur vtriusque cum ratiociniis ſuis axiomata. Quantum id proſit, iam monui §. VII. Deinde hac ratione dexterrime iudicarim obuiam iri poſſe tam eorum errori, qui, quae nunc in manibus habent, contemnunt ac negligunt, intenti futuris vnice ſequuturisque montibus, vel aureis, vel parturientibus, quam alucinantibus iis, qui nota ſola tanti aeſtumant, vt noſcenda in poſterum ipſis vileſcant omnia, ea tantum crepantes, quae iam hauſerunt, minus perſpectorum ne tanta quidem tacti cupidine, quae ad examinandum ſufficeret. Quibus ſi quis habenas laxauerit praeconceptis opinionibus, et vnum ex primis ordinibus in excolendis litteris optauerit, aut philoſophiae faſcinatus cupediis faſtidiet minus demonſtrata vel vtiliſſima, aut innutritus horum deliciis ad illius horridulum pallium demittet auriculas iniquae mentis. At concilians ſibi vno eodemque tempore tum philoſophiae, tum illius doctrinae, cui adſcribitur, amicitiam, quotidie videbit, vt facundiores comites ambulent inter mutuas amplexationes communem inſpirantes amorem omni familiarius cum iis conſueſcenti. Nec illud poſſum praeterire ſingularis commodi, quod eo crediderim ardentiores ſtimulos ſubdi animis iam ad ardua quaeuis excitatis, quo latiores aperiuntur ipſis emeriendi campi, quos vno obtutu complexi, iucundaque varietate delectati, ſe dabunt generoſo impetu,

petu, quo vocat incredibile bene locatae iuuentutis praemium.

§. XII.

Quam ob rem meo iure prudentisſime ſibi conſulturum affirmare videor, qui non nihil horarum ſuarum in academiis per integrum triennium audiendis philoſophis deſtinauerit. Memor eorum, quae dixi §. IV. non plures quam quatuor, horas ſingulis ſex menſibus tribuam, quibus per profeſtos dies adeuntur docentes. Ex his vnam tantum ferant philoſophi. Sex inde naſcuntur acroaſes philoſophicae. Parum illud videbitur veteris diſciplinae patronis. Si vel vnus annus, inquient, integer daretur philoſophiae, tamen admiſſis iis, quae ante conſtituiſti, octo haberemus horas, quibus esſent premenda philoſophorum ſubſellia. Nihilominus, vt nunc ſunt tempora, cenſebor immane quantum popoſciſſe plurimis. Hinc matheſin, quam puram nominant, in familiam philoſophicarum ſcientiarum arrogare primo liceat. Deinceps iterum iterumque rogatos hos velim, qui ſecus ſentiunt, vt perpendant, alienisſimum me eſſe a ferendis legibus, nec auctoritate quam metuerent, vt optime norunt, inſtructum. Per me faciat quisque, quod ſibi factu iudicat optimum, contrahat in curſum vnum, ſi libet, aut prorſus expungat ſex illas, quas oderit, recitationes. Interim moleſte ne ferat, vti me eadem, qua forſan abutitur ipſe, ſentiendi libertate. Non ignoro peculiares eſſe quibusdam poſſe rationes, quibus auocentur ab eiusmodi meditationibus. Ordinaria hic conſideranda ſunt, inuſitatiora tunc, quum contigerint, ponderanda. Ex altera parte non deerunt quinquertiones creſcentes quinque vel pluribus vna pares ſtadiis perambulandis. In rebus, quarum ingens momentum eſt in gradibus poſitum, nec minima temere nec maxima ſtatuenda ſunt. Tutius eſt vbique medium, et rectius viues

nec altum
Semper vrgendo, neque, dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
Littus iniquum.

Sex illa collegia, ſi datur recentiorem ſignificatum antiquisſimo voca-

vocabulo coniungere, haec ſunto, et hoc quidem ordine: Logicum, mathematicum theoreticum, metaphyſicum, iuris naturae, ethicum, phyſicum. Conf. tamen §§. ſeqqu.

§. XIII.

Scientiam ratiocinandi hoc fidentius primam omnibus ad ſolidiora adſpirantibus commendo, quo certius de neceſſitate illius perſuaſi iam ſunt plurimi, quo patet vel lippis luculentius, decantatum ab iis praecipue, quibus parca datum eſt manu, logicae naturalis lumen, vbi ſolum eſt, non multo ſecuriorem viam veritatis praelucere, quam

Quale per incertam lunam, ſub luce maligna,
Eſt iter in ſiluis, vbi caelum condidit vmbra
Iuppiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.

Vellem, plura vt moneri poſſe permitterent huius loci anguſtiae. Haec tamen ſilentio praeterire non poſſum. Primo, ne ſine noua diſquiſitione ſedulaque circumſpectione ad academiam accedentes iudicium ferant de logica, ex iis notionibus, quas primi forſitan ludorum magiſtri animis ipſorum impreſſerunt. Equidem recordor illius temporis, quo quisquiliis dialecticis paene enectus in puluere ſcholaſtico iuraſſem non viliorem, non abſurdiorem eſſe diſciplinam illa, qua tornare docemur enthymemata. Vidi et alios, qui ſe iam hanc dudum perdidiciſſe ſancte pollicebantur, donec meliora ſuo periculo videntes munerum publicorum candidati deſcendere cogebantur ad bArbArA. Deinde, ſi qui volunt animum ad logicam appellere, dent operam ante omnia, vt talem ſibi ducem eligant in multis, logicam ſeſe expoſituros liberaliter promittentibus, qui ipſam ſui exemplum eſſe iubeat, ita proponendo praecepta logica, vt premat ipſe viam in docendo, quam digito monſtrat. Quod qui fecerit, non poteſt non obſcurior in ipſo limine non nullis apparere, dum acumen ſuccreſcat, firmetur attentio, accedat cultus intelligentiae, ſuisque vinculis per ipſum exercitium extricetur ratio. Non diu tamen laborabitur in aditu, modo ſtrenue pugnetur, et diſcuſſis mox nebulis non minus perſpicue ſentietur, quid dies nocte, quam quid aera diſtent lupinis. Tertio loco cauendum, vt ne negligat, quisquis in logicis velit vtiliter verſari, manus operi

Digitized by Goo

operi inficere, quod qua ratione fieri debeat, oſtenditur. Dici non poteſt, quid afferat detrimenti, ſi ſatagamus audire, quomodo formandus conceptus diſtinctus, nec formemus tamen, quomodo definitio ſit exſculpenda, nec definiamus tamen, quomodo diuidendum, iudicandum, concludendum, et ſi qua ſunt alia, neque tamen horum omnium quicquam ex artis regulis tentemus. Quis vnquam ſaltatoriam didicit ſtans, vt cautes Marpeſia? quis muſicam ſine ſpiritu vel digitis? Multis vtique, niſi prorſus inutilis eſt, parum tamen prodeſt logica. Non enim vtuntur eadem. Si poſſent, non volunt, ſi volunt, non poſſunt amplius. Vnicum fere ſupereſt aliquo in vſu exercitium logicum, diſputationes. At, quis neſcit, quam illae frigeant, quam pauci ſe in earum arenam demittant?

§. XIV.

Nunc pedem promoturus ad reliquas philoſophiae partes §. XII. enumeratas, diſtinguendos mihi video theologiae, iuris prudentiae ac medicinae addictorum coetus, quia non omnibus eadem via procedendum exiſtimo. Theologiae ſi quis plurimum dicauit induſtriae, poſt logicam tractabit proxime vel matheſin, vel metaphyſicam. Matheſin hic intelligo non niſi puram, ac eius cognitionem omnibus hac potisſimum ex parte ſuadendam iudico, quia vix vlla defaecata magis ſcientia paratiorem offert occaſionem logicas regulas exercendi continuo, et ſic ſibi reddendi familiariores. Vnde per ſe patet, eum indagandum eſſe matheſeos doctorem, qui rigidisſime demonſtrat et ita ſupputat numeros, ita lineas ſuas ducit, vt omnibus numeris abſoluta conuictio ſit vltima circulorum ipſius regula. Non figurarum velut acu pictarum mirabilis accuratio, non inſtrumentorum mechanicorum ambitioſa pompa ſpectetur oculis certitudinem quaerentibus et rationis nutrimentum. Cogitanda matheſis eſt, non videnda tantum et contrectanda. Liberius dolere poſſum nunc publice, quando nobilisſimam hanc ſcientiam apud nos, nec a ſat multis, nec pro dignitate ſatis amari colique ſentio: quia ipſe eam nunquam expoſui, nec facile falcem in illius meſſem immisſurus ſum, niſi fungens vna vice diſcipuli.

§. XV.

§. XV.

Coniunxi §. XIV. matheſi ſtatim metaphyſicam, quia nec hanc male logicae proximam annecti cenſeo. Si quis enim aut iam tractauit radium in ſcholis, aut cum logica combinauit, aut ex ipſis concludendi regulis exercitiisque iam gnauiter expolitum tulit animum: tranſire cum fructu poteſt ex illius regnis in huius caſtra. Metaphyſicam quum dico, ne quis exſpectet terminorum modo ſeſquipedalium terribiles ampullas, aut indigeſtam farraginem. Diſputauerint olim de abſtractis maxime lanae caprinae qualitatibus occultis, nunc et ſibi dictum putant illud metaphyſici,

Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Vocabulorum aequiſſime ferimus exſilium, modo veritatis proferantur pomoeria. Abrogare tamen omnia quoniam nemo, niſi demens, vnquam cogitauit, quis vitio vertat philoſophis, ſi et ipſi res, de quibus extra circulos ſapientiae rariſſima mentio iniicitur, ſignis exprimant, non lixae cuiuis aut caloni cognitis? Haec explicantur diſtincte per ontologiam. In reliquis de mundo, anima, DEO cogitationibus vix vnius memini voculae, quae non teratur omnium linguis, et quotidianis ſermocinationibus immiſceatur. Vtilitatem oculis ſuis deprehendet, ſi quis recentiores modo ſcientiae huius doctores in poſterioribus paginis euoluere velit. Vbique ſubiicientur adſpectui, quae, non dicam eruditum, ſed ingenuum ignorare dedeceat. Vnum eſt, a quo retrahendi pauci ſunt, ſunt tamen aliqui, quibus fraena magis neceſſaria calcaribus. Deſcendendum potius eſt in metaphyſicis, quam adſcendendum. Nec haerendum nimium in primis eſt, nec his priora rimanda. Eſt et ontologiae modus, certique fines, quos vltra rectum nequit conſiſtere. Quis ad palatium inuitatus indiuulſus oſtii fumoſi contemplator limen ante haberet pretioſiſſimis penetralibus?

§. XVI.

Metaphyſicam aut excipiet phyſica prima aut etiam, prout commodum fuerit, philoſophia practica. Si quis tamen

ſacris

Digitized by Google

ſacris litteris imbuendus, ad vtramque disciplinam apertum aequaliter aditum eodem viderit tempore, praeferet conſultius practica et in his eam partem, ſine qua

Omnia naturae contraria legibus ibunt.

Ius naturae quum ſanctiora ſtudia ſectantibus minime negligendum opinamur, ſunt, qui abeant in alia omnia, causſam interſerentes, in quibus audienda naturae vox eſt, omnia iam conſtare nobis ex ſcriptura ſacra. At non intelligunt, haec, quia plura probant, quam deberent, nihil efficere. Edicta naturae patent etiam per ſenſum, quem communem vocant, aequitatis illam innatam velut ac inſculptam imis infantium praecordiis diuinationem. Hinc ſi legitime conferrent calculos, hoc innuentes: quae aliunde iam nouimus, ea philoſophando non ſunt demum cognoscenda: actum omnino foret de iure naturae, quatenus non eſt in extremis philoſophorum ſcientiis, nuntiusque Grotio mittendus esſet non a theologia ſolum, res eum ſuas ſibi habere vellet eodem iure iurisprudentia. Id quaeritur, an eodem modo, iisdem ex rationibus elucescat per inſtinctum naturae, vel afflatum aliquem diuinum, quod philoſophia de iuribus noſtris demonſtrat: dehinc; an proſit theologis euincere poſſe more philoſophico, posſe per ipſam naturae conſiderationem extra omnem dubitationis aleam ponere, quae leges a caelo quaſi delatae vel iubent, vel permittunt potius cum ratione ſuauisſime concinentes. Quid autem adhaec reſpondendum eſt? quibus argumentis vtar, vt omnes perſpiciant, haec non nescire myſteriorum noſtrorum defenſoribus non honeſtum esſe tantum, ſed etiam vtilisſimum? Pro me teſtis loquatur experientia, tam laeta heroum in bellis ſacris, qui et his armis obſtupefactos rerum ſacratisſimarum irriſores felicisſime circumtonant, quam triſtis in iis, qui ſuo exemplo declarant optimam ſaepe causſam agi posſe pesſime.

§. XVII.

Ethicam nunc commemoraturus ſcientiam dico de internis noſtris obligationibus in ſtatu naturali. Hanc iuri poſtpoſui, partim, quia moris eſt in iuris naturae proludiis vniuerſalis philoſophiae practicae necesſarias notiones euoluere, ſtabilire veritates

ritates primas ad agendum compellentes, et tunc demum ad officia, quae forum externum curat, vberius explananda progredi, vt adeo in iisdem diutius ethicum morari minus opus eſſe videatur: partim quia decorum, honeſtas, pietas in DEVM excellunt prae iuſtitia ſtrictius dicta, ab infimis vero praeſtat euehi, quam retrolabi, partim quia fines prius eſſe debent cogniti, quam remediorum optio prudens et conſiderata ſperari poteſt. Lubentiſſime pedibus eo in eorum ſententiam, qui hanc philoſophicarum venerum reginam aeſtumant, et ita mihi meam voluntatem ſpemque reliquae vitae DEI propitius fauor comprobet, vt ego religionem officiorum omnium et virtutem ſemper amabilem non aliis ſolum, ſed et mihi pingo, cuius

Felices ter et amplius
Quos irrupta tenet copula, nec malis
Diuulſos querimoniis
Suprema citius ſoluet amor die

§. XVIII.

Metaphyſicam et matheſin puram qui ſuam fecit, quandocunque placuerit, et ab aliis conceditur vacatio, phyſicos audiet cum fructu, cum delectatione maxime liberali. Qui quum aut experimenta ſtatim argumentationibus annectant, aut ſeparata tradant, in iis ſectandi ſunt maxime. Nec enim eſt cuiusuis quocunque tempore vel loco per multos apparatus reconditas daedalae naturae ambages detegere. Arripienda, dum porrigitur, anſa eſt videndi, quae non bene creduntur, nec demonſtrari vel debent, vel posſunt. Quod ſi prius non contigit otium rimandi naturalia theologicis moralibusque diſtento, ſatis apte fini ſcholarum philoſophicarum ſeruantur relictura ſine dubio quoddam ſui deſiderium, quo pelliciaris ad proſequenda tam fauſtis ominibus preſſa veſtigia.

§. XVIIII.

Si quis acceſſurus olim eſt ad forum et ICtorum honoratiſſimos ordines, ius illi naturae diſcendum eſt vtique maturius, quam

quam quo §. XVI. illud recenſebat ordine. Medicorum filiis, phyſicum debet eſſe ſtudium vnum ex primis. In quibus licet vbique ſumenda ſint, lemmata quae mathematicis appellantur, ex illis ſcientiis, quae poſtea demum audientur, exceptio tamen haec illa praeſtat, ex qua plus forte detrimenti capiat potior diſciplina. Caetera, quo poſita ſunt ſuperius, ordine, quum non inepte collocari videantur, iterum repetere ſuperfluum eſſet.

§. XX.

Diſtributa ſunt igitur penſa temporibus, quae philoſophiae audiendae deſtinaueramus §. XII. Non dubito, quin, ſi qui mihi ſunt lectores, ex iis aliqui, plauſus inſtar, occlament illud: *Obe! iam ſatis eſt. Obe!* neque tamen adiici poteſt, quod ſequitur in poeta:

Iam peruenimus vsque ad vmbilicos.

Reſtant adhuc in philoſophorum agris intacta non pauca, praeſertim noualia. Quis neſcit oeconomicam ac aulis etiam non vitae tantum ac ſcholae philoſophantem politicam? Quid ergo?

Tu procedere adhuc et ire quaeris
Sic, tanquam tibi res peracta non ſit?

Nollem ſane, et occurrunt quidem animo diuerſa conſilia, quibus et hic ſatis facere diſcendi cupiditati cum minimo temporis aurei diſpendio poſſimus. Primo per totam hanc, quantulacunque ſit, ſchedam non quaerebatur, quid diſcendum aut legendum, ſed quid audiendum ſit philoſophiae, per triennium tantum, nonniſi quatuor horis, docentes frequentantibus. His, non aliis, ante conſtitutis, (at quis non videt multis ſe res melius modis habere poſſe?) ſi quis viua voce ſatis inſtructus ſit ab iis ſcientiis, quas ſupra memoraui, et ex libris reliqua ſe, quantum ſatis eſt, cogniturum ſperauerit, fallor, an iſte dicendus ſit non admodum temerarius? Deinde non raro feneſtram aperiri notamus in academiis audiendi philoſophiae partem eiusmodi per aliquot tantum hebdomadum dies. Adiri tunc poterit, velut intercalaris quaedam acroaſis reliquis ſtatis laboribus parum aut nihil otii

 ſubtra-

ſubtractura. Nec ſiniſtre fortasſis rebus ſuis proſpiciunt legum cultores praecipue, ſi ſuppoſuerint ethicae curſum aliquem practicum, vt vocari moris eſt, in quo pari temporis ſpatio, quo ſolam alias virtutis doctrinam emetirentur, oeconomicam etiam et politicam cum aliis deguſtant, modo ſatis lente feſtinetur. vid. §. XXIII. Dixi ordinem, quem in audiendis philoſophicis optimum ex noſtris rationibus exiſtimo. Non tam bene nobiscum agitur, vt optima ſaepius et in multis attingi posſint. Ponenda nihilo ſunt minus ob oculos. Imitantibus optima, ſi non optime, bene ſaltim exprimuntur.

§. XXI.

Quam VOBIS hactenus pinxi, COMMILITONES, philoſophiam in academiis audientium imaginem, et hanc ob cauſſam, inter alias, animo concepi, vt haberem, ad quam regulam exigere posſem meos labores opellasque bis per annos ſingulos pollicendas. Si qui enim ſunt, qui praeter tot clarisſimos in Fridericiana ſapientiae praecones, me potisſimum per aliquos philoſophiae campos comitari ſibi propoſuerunt, iis nunquam deeſſe conſtitui cancellos, qua fas eſt, porta per logicam ſcilicet ingresſuris. §. XIII. Hinc eam quotannis bis abſoluo. Per aeſtatem etiam inſtantem in logicis legam pone veſtigia ILL. CHR. WOLFFII in cogitationibus de viribus intellectus humani, quas vernacula lingua conſcripſit. Metaphyſicae ſatis exhauriendae vix ſufficit breuisſima, quam noſtis, apud nos aeſtas. Quam eo libentius in hiemem cuiusuis anni reiicio, quo aptius logica iam inſtructi per antecedentem brumam interiecta aeſtate posſunt in matheſin excurrere §. XIIII. vel iuris peritiae dediti ius naturae theoreticis curis interponere §. XX.

§. XXII.

Ius naturae lego in inſtitutionibus aeſtiuis, tum vt poſt metaphyſicam ſtatim ad illud transiri posſit, §. XVI. tum vt tribunal rationis vel proxime poſt logices conſuetudinem, vel cum ea ſimul adire queant, qui ad ciuilia ſunt olim adſcenſuri tribu-

nalia

Digitized by Google

nalia §. XX. In interpretandis optimae matris aut patris potius indulgentiſsimi legibus tres mihi potiſsimum ipſe leges praeſcripſi. Prima eſt, in philoſophiae practicae tempe ne quem inducam ante, quam aureos flores, qui in illis agris naſcuntur, nouerit. Amo philoſophiam generalem practicam, noui, quid vitae rationi congruentis, id eſt, beatae interſit ſcire, quid ſit obligatio, quid imputatio, lex, conſcientia factorum, poenae, praemia, quid ſingula velint, nolint, permittant. Facilis hic eſſet ſemeſtris diligentia. Verum contrahenda ſunt vela. §. IIII. non abiicienda. Sequamur exemplum illuſtre, quod plerique iurium naturalium doctores praeeunt. Praemittamus optimam ſcientiam his loco prooemii longi, fateor, at non alte petiti. Per hanc enim paratioribus expeditioribusque reliqua plana videbuntur ac aperta omnia. Secundam hanc habeo regulam. Non ſunt harum legum corpori ſui Juſtiniani, ſui Caeſares, quibus frontem ornet aut titulum, et in quorum voluntate ſit acquieſcendum, vbi pro ratione ſtare libuerit. Vna ratio hic interpres DEI ſedet, legesque fert vna. Nexus igitur et arctiſsima ratiociniorum colligatio, ſi vnquam, attendatur hic maxime. Procul hinc audaces ſaltus, et quicquid eſt vbique ſaliſubſulorum. Ex vno demonſtranda ſunt reliqua, nec illud eſto precarium. Deducendum eſt et primum iuris naturae principium ex prioribus naturae. Sic demum ratio potietur ſella curuli, qua ſaepe vel imprudentibus praecipitatur per neſcio quod rationis analogon, dum hoc illius maieſtatem callide mentitur. Tandem et illud debere me iudico, praeſertim legum ciuilium ſtudioſis, ſimul tamen ipſi veritati, vt ius naturae, quod cogens et externum dicunt, diſtinguam ſemper et ſeiungam ſummopere in ipſa legum expoſitione ab officiis internis, non minus, quis neget? neceſſariis ad vitae vere felicis tenorem, at vi tamen et coactione nec poſcendis, nec impetrandis. In his omnibus egregie mecum conſpirat H. KOEHLERVS in ſuis iuris naturalis exercitiationibus. Vberrime tractat philoſophiae practicae generalis foecundiſsimos locos, quamuis careant nomine, rigide demonſtrat ac belle, ſalutarisque iuris interni ſanctiſsimis legibus, quantum ſatis eſt naturae iuris conſulto, haeret in iure externo, illiusque

 limi-

limites ſtrenue ſeruat. Sumam itaque exponenda cogitata viri optimi, et experiar, an mortui quoque ſcripta partem tulerint fauoris illius, qui non ſine merito viui vocem ſemper ſequutus eſt.

§. XXIII.

Dudum eſt, ex quo ſolicitari me ab amicis memini, vt ethicam etiam doctrinam aliquando docendo tangam, et meo quoque facto tentem abſtergere maculam, quam metaphyſices amatoribus inuſtum eunt, neſcio quae maleuolorum admurmurationes, dum, ſubtile et ſpinoſum ſpeculandi genus quod illis videtur, faſtidium practicarum ſcientiarum ſecum ferre autumant, et inde contendunt euenire, vt raro quis ex ea, quam contemnunt, familia doctrinam virtutum expediat, earumque pulcritudinem ponat ob oculos. Defendi me ſaepius contra non male fundata conſilia, quantum potui, de neceſſitate, vſu, dulcedine meditationum ſocraticarum tam conuictus, quam qui maxime. Prae reliquis hucusque me retinuit inueterata quaedam animo ſententia, qua totam philoſophiam practicam arbitratus ſum commodiſſime includi poſſe curſui cuidam annuo, modo ſcientiae ad eandem pertinentes ſatis diſtinctae, breuiter tamen omnes prolatae, in vnum quaſi faſciculum colligantur. Nec nunc eſt, cur me poeniteat huius iudicii. Clare perſpicio, non fieri ſolum poſſe, ſed et fore ex re multorum. Quae me tamen adhuc coegerunt abſtinere a labore eiusmodi, rationes quoniam propediem ſublatum iri non ſpero, nec deterrebor amplius, quin interim aliquid viae coner procedere, donec ad metam felicius contingendam dies paratiora plura commonſtrabit. Sagacitatem illam rationis perfectionem ſoleo dicere, qua plura philoſophice cognoscit. Quam cum ſoliditate, qua tantum rationis perſpicimus, quantum ſatis eſt, dextre coniungere, vt vbique difficillimum eſt, ita praecipue in quaeſtionibus de officiis. En! VOBIS COMMILITONES, vnam rationem ex multis, ob quam et ſupra ius naturae ac ethicam plurimis curſibus praetuli, quos cogitare non poſſum, quin veniat in mentem illius canis

Digitized by Google

nis e Nilo, et in proponendo malim ipſe nunc has vnas ſcientias fundamento ſuo, quam plures arenas ſine calce ſuperſtruere. Vtinam in ethica pertractanda non iterum confugiendum eſſet ad manus veſtras et calamos! Animos exercere, cogitandi neruos adſtringere, occupatam tenere rationem eorum, qui me audiunt, oppido mihi dulce eſt: fatigare dextras et chartas implere non ſolum non laboro, ſed et fugio, quantum poſſum. At ipſi mihi dicite librum, qui ſolam ethicam, methodo ſcientifica, cum logicis hic loquor, et academicis noſtris inſtitutis accommodatam tradat. Ego quidem eum neſcio. Quae quum ita ſint, ipſe contraham quaſi in ſummam notatu maxime digna et ea coniecta in chartam ab iis, quibus placuerit, ſermone libero declarabo fuſius, ſtabiliendoque diducam.

§. XXIIII.

Habetis priuatas huius aeſtatis acroaſes. Horis, quas publicas nuncupamus, elegi per annum, ſi DEO viſum ita fuerit, enarrandam hiſtoriam philoſophiae, et ita quidem, vt imminentibus ſex menſibus veterem abſoluendam ſumam, quam ab ortu philoſophiae protrahunt per ſat multa ſaecula vsque ad deploraudam paene omnis eruditionis eclipſin, quam ſaeculo circiter ſexto poſt Chriſtum natum patiebatur. Aperiam et hic ſincere conſilium, quo ad hunc potisſimum laborem impellar. In ipſis illis meis ſermonibus, vbi thetice philoſophandum eſt, vel prorſus taceo, vel obiter moneo, idque rarius, quid qualesque disſentientes verum ſtatuant. Quod mihi certum, demonſtro, demonſtratum illuſtro, addo obiectiones, easque ſoluo, ſi tanti ſint, quae qroferantur. In his verſantem ſemper tempus prius, quam materia deſtituit, ſexcentas aliter opinantium ſententias corradere, aut enumerare conſentientium veterum nouorumque philoſophorum cateruas, non vacat. At intelligere tamen et alios, nouiſſe, quid illi rectum iudicent, ipſos errores et argumonta, quorum fuco obducti ſplendescunt, detegere, aetatem et ſedes celebriorum opinionum perſpectas habere

habere, non eſt illa contemnenda, non inutilis erudito delectatio. Iam hiſtoriam philoſophiae non aliam cogito, quam cognitionem earum ſententiarum, quae quouis tempore ac loco de quaeſtionibus philoſophicis viguerunt. Hinc non abs re fore putaui, ſi in hac etiam parte ſtudia veſtra ſubleuare, quantum poſſem, allaborarem. Sequar Buddeanum hiſtoriae philoſophicae compendium, quod multa dicat, quae a me dicenda non erunt iterum, et anſam ſimul praebeat addendi non nihil in exponendis praeſertim veterum opinionibus. De horis huic publico labori conuenientisſime ſortiendis quoniam ipſe nondum certus ſum, ignoſcite ex valuis demum publicis, at in tempore, VOS de iisdem commonefacturo. Ius naturae vero h. VIII-VIIII. ethicam h. VIIII-X. logicam h. V-VI. bono cum DEO poſt finitas Lipſienſium nundinas aggrediar exponere. Tunc adeſte, ſi vultis, beneuoli, COMMILITONES, interim VOBIS deditisſimo fauentes. Valere.

Digitized by Google

Digitized by Google